

J. Wandal
in historiam Achabi poenitentis meletemata.
Hafn. 1695.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

1,-93.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 00948 7

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

JOH. WANDALINI FIL.
SS. Theol. D. & Prof. Prim.

In

HISTORIAM ACHABI POENITENTIS

1. Reg. XXI.

MELETEMATA.

Ad Ord. Diſputationem propoſita

Reſpondente

DITHMARO BULLICHIO,
Philoſoph. Bacc.

Ad d. 14. Martii Anno M. DC. XCV.

HAFNIÆ
Typis Joh. Phil. Bockenhoffer, Reg. Majeſt.
& Univerſit. Typogr.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

APPROBATIO.

Præſtantisſimum qvidem adverſum omnes animæ morbos omniaq; laborioſæ vitæ infortunia & incommoda alexipharmacum & remedium Pœnitentia *eſt. Et, veluti dolor in vulneribus pro indiciô ſanitatis, ita mœror, ob patrata delicta, in cordibus pro ſignô ſalutis cenſeri ſolet. Cæterùm, ſicut non omne nobis jubar ſolem aut diem mox, nec omnis illico ſplendor aurum & gemmas conficit; ita nec omnis confeſtim* pœnitudo *vera protinus* Pœnitentia *eſt. Struthio ſpeciem qvidem volandi præ ſe fert, actum verò & uſum minimè oſtendit: ita Hypocritæ,* μόρφωσιν μέν ευσεβείας ἔχουσι, τὴν δε αὐτῆς δύναμίν εισιν ἠρνημένοι *(2. Tim 3. v. 5.) Id, ex notabili iſtô (qvod 1. Reg XXI. v. 27. 28. legitur)* ἐπισήμου τοῦ Ὑποκριτοῦ *Achabi exemplô, perdoctâ hâc & perqvam egregiâ diſſertatione, pro more accurationis &* ἀκριβείας *ſuæ, ita luculenter omnibus conſpectum dat* Nobilisſimus & Celeberrimus Dns. WANDALINUS *noſter, ut phalerata illa, de laborioſis operibus noſtris, eorumq; ſatisfactione ac merito, Pontificiæ Scholæ doctrina, propriâ inanitatis ſuæ mole, elumbis planè & enervis corruat; nec inveniat ultra perſonata Religio vel fucum aut minium, qvô ſe pingat, vel larvam aut umbram, qvâ ſe occulat! Siſtit enim nobis hìc* πολυάνθεμος *Scripturæ Interpres ipſum ante oculos Deum, peritisſimum* ἀνθρώπου τοῦ ἔσωθεν, καὶ τοῦ ἔξω *Cenſorem ac judicem, cujus ſcientiæ nemo glaucomam, cujus potentiæ nemo remoram objecerit; qvi botros illos amarisſimos,*

uvas

uvas fellis, labruſcas & ὄμφακας, qvas ex vineâ Sodomorum, & ſuburbanis Gomorrhæ vitiata (proh dolor!) natura noſtra profert, dignoſcit & examinat qvàm ſagaciſſimè! Qvô verò tandem tempore, & qvâ menſurâ, amaritudinem earundem & acrimoniam perſentiſcere iterum ac reguſtare debemus, id (juxta Deut. XXXII. v. 34. 35.) כמס עמדו וחתום באצרותיו: כי לו נקם ושלם לעת: reconditum apud ipſum, & qvaſi ſigillatum eſt in theſauris ejus, qvoniam ipſius eſt ultio & retributio in tempore &c. *Qvare ad verè ſancta hæc & ſalutaria Conjunctiſſimi Dni Collegæ noſtri Meletemata nihil ulterius hâc vice addituri ſumus, præter emphaticum illud Paulinum Epiphonema (*Galat. 6. *v. 7.)* Μή πλανᾶσθε, Θεὸς γαρ ου μυκτηρίζεται, καὶ ὃ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει. *Inanis enim (ut docet Auguſtinus noſter) eſt* Pœnitentia, *qvam ſeqvens (ſicut penes Achabum evenit) culpa coinqvinat, nec proſunt lamenta, ſi replicantur peccata! Saccus qvidem & cilicium aliqvid ad extremum* Pœnitentiæ *colorem & corticem; nihil verò ad internam ejusdem medullam & eſſentiam faciunt! Et rectè Chryſoſtomus (Homil. LXXVII. de Pœnitent. contin. & virginit.) de* ἀκολουθήσει τοῦ ὁδηγοῦντος ἡμᾶς εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν νυμφίου: *illud cæleſtis Sponſi noſtri eloqvium inculcat:* Ἐὰν πορεύεσθε πρός με ὀρθῶς, κἀγὼ πορεύσομαι μεθ' ὑμῶν ὀρθῶς: Ἐὰν δὲ πλάγιοι (Tortuoſi) πορεύεσθε, κἀγὼ πορεύσομαι μεθ' ὑμῶν πλαγίως! *Sic cenſui Hafniæ V. Kalend. Febr. Anno M.DC.XCV.*

H. BORNEMANN D.

In

In Hiſtoriam Achabi pœnitentis I. Reg. XXI. Meletemata.

Demonſtratum fuit ſuperiore *Diſſertatione de Diſcrimine peccatorum actualium primario*, inter alia, qvæ ad iſtam materiam ſpectabant, & hoc verum eſſe, qvòd, remiſſâ propter Chriſtum peccatorum mortalium culpâ & pænâ, Deus tamen εἰς παιδείαν & ἐπανόρθωσιν melioribus ſuis filiis certas immittat afflictiones & calamitates temporales; paternâ ſcil. ipſius ita ſuper ſuos ordinante providentia, qvi *inducit flagellum, non ut ultor præteriti delicti, ſed ut futura incommoda præſcindat, ut reliqvam malitiam arceat*, ſicut præclarè ſcribit Chryſoſtomus *Epiſt. ad Theodor. lapſ.* Nunc vice verſa declarandum, qvòd infidelibus & hypocritis externam qvandam pœnitentiam ad tempus præ ſe ferentibus, licèt culpa & pæna graviſſimorum ſcelerum neqvaqvam condonetur, differatur tamen ad tempus, & nonnunqvam penè auferatur iſtud pænæ temporalis malum, qvod, unà cum æterna damnatione promeritum, in hac vita ipſis Divina infligere nemeſis decreverat. Hujus autem admirandæ in rebus humanis œconomiæ DEi vix luculentius ullibi proſtat exemplum, qvàm in hiſtoria Achabi Regis Iſrael, impii, infidelis, & hypocritæ. Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

cùm turpiſſimæ idololatriæ, excidio & perſecutioni Prophetarum, aliisq; vitiis publicis ac privatis, inſtigante notoriæ impietatis conjuge Izebele, rapinam vineæ & vitæ Nabothi civis innoxii I. Reg. XXI. addidiſſet, meruiſſetq; adeò *tum* a perverſitate ſua ſummam infamiam, *non fuit ſimilis Achabo, qvi dediderat ſe ad faciendum malum in oculis Jehovæ* v. 25. *tum* ab æternæ vindicta Juſtitiæ terribile fulmen Propheticæ vocis: *Sic ait Jehova, an occideris, an etiam hæreditario jure poſſideas? Sic ait Jehova, pro eo, qvod linxerunt canes ſangvinem Nabothi, lincturi ſunt canes ſangvinem tuum, etiam tibi.* v. 19. *Et ecce Ego inducturus ſum in te malum &c.* v. 21. 22. Mox ille, his auditis, *lacerabat veſtes ſuas, & impoſitô carni ſuæ cilicio jejunabat, cum cilicio etiam cubabat, & lentè ambulabat* v. 27. Qvæ externa fracti metuq; debellati animi ſigna in tantum profuerunt ad mitigandam ſententiam nuntiatam, ut dixerit Eliæ Deus: *Videsne Achabum ſe abjeciſſe ante faciem meam; eò qvòd abjecit ſe ante faciem meam, non inducam malum illud diebus ejus: diebus Filii ejus inducam malum illud ſuper domum ejus* v. 28. 29.

Admirandum ecce divinæ miſericordiæ documentum, qvæ, parcendô hypocritæ, tantò abundantiùs ſe declarat verè fidelibus: cujus & qvò pateat abyſſus & πολυποίκιλος σοφία in Eccleſia Eph. III. 4 oſtenduntur divitiæ benignitatis, tolerantiæ, & μακροθυμίας erga infidelem, cum qvâdam etiam, uti prima ſpecie videri poſſet, eclipſi ſuæ vel *veracitatis* vel *ſanctitatis*. Qvippe, qvi in dictis factisq; eſt ἀψευδὴς Tit. I. 2. ἀμετάθετος & mutari neſcius Jac. I. 17. & planè ἀμετακίνητος I. Sam. XV. 29. qvomodo revocaret ſententiam tam juſtè latam? Qvi *purior eſt ocu-*

lis,

lis, qvâm ut aſpiciat malum Hab. I. 13. & reqvirit *veritatem in præcordiis Pſ. LI.* 6. qvomodo faceret gratiam peccato τῦ ἀμετανοήτυ, favorem hypocritæ? Et, cùm *veracitas* DEi *ſanctitasq;* in hoc facto non planè omnes occultent radios; *hæc* qvidem, dum externæ Achabi pænitentiæ, eidemq; προσκαίρῳ, ſaltem in externis & προσκαίροις bonis indulgendis ſe accommodat: *illa* verò, dum vindictæ, qvam minatur, executionem differt qvidem & certô conſilio ſuſpendit, non aufert tamen, ſed efficit tandem, ita ut *non excidat qvicqvam in terram de verbo Jehovæ, qvod locutus eſt contra domum Achabi* 2. Reg. X. 10. Cùm hæ, inqvam, proprietates divinæ ſic ſatis ſe manifeſtent, *Juſtitia* interim perfecta ſe denſis velut abdit nubibus. Qvi enim *citra perſonarum reſpectum unumqvemq; ex opere ſuo judicat* I. Pet. I. 17. Jer. XXXII. 19. invenitur hìc judicium, qvod Pater meruit, in Filium transferre. Cui *abominatio eſt abſolvere improbum, & condemnare juſtum* Prov. XVII. 15. videtur hìc ea pænâ ſceleratiſſimum Parentem liberare, qvàm Filio minùs improbo luendam reſervat. Sed benè eſt: amicæ ſunt ſemper Scripturarum lites: atq; divinæ multò magis proprietates, licèt, qvatenus πρὸς ἔξω ad creaturas progrediuntur, a nobis diverſis modis concipiantur, πρὸς ἔσω conſideratæ, ut intra ſinum Deitatis continentur, ſunt ſimpliciſſimum qvid & ταὐτόν τι. Ut autem in conceptu noſtro etiam eôdem modo ſe habere poſſint, ex collatis inter ſe Scripturis, occaſione Textus hac vice expendendi, DEo duce, pro virili allaborabimus.

Sect. I. de Pœnitentia Achabi.

Hæc ita deſcribitur v. 27. *Fuit verò, cùm audiiſſet Achab verba iſta, ut laceratis veſtibus ſuis, & impoſito car-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

carni ſuæ ciliciô jejunaret, cubaret etiam cum cilicio, & ambularet lentè. Elucet hinc (I.) *Verbi divini efficaciſſima potentia* in peccatore maximè obſtinato. Nihil tam *ſaxeum*, qvod non *hoc malleo* perfringitur; nihil tam durum, qvod non *hoc igne* liqveſcit Jer. XXIII. 28. 29. nihil tam munitum, tam ſublime, qvod non his armis evertitur 2. Cor. X. 4. 5. hôc, inqvam, gladiô, qvi ad diviſionem usq; animæ & ſpiritus, compagumq; & medullarum penetrat Ebr. IV. 12. Majorem adhuc admirationem provocat tantus effectus, ſi miniſtros ſpectamus, homines *conditione* humiles & deſpectos, (ut περικαθάρματα τȣ̃ κόσμȣ cenſeantur 1. Cor. IV. 13.) *naturâ* infirmos & peccato obnoxios. Autorem verò ſive cauſam efficientem principalem ſi conſideramus, qvæ verbo ſuo hanc indidit vim, qvid mirum, ſi *Vox Domini perfringit Cedros*? Pſ. XXIX. 4. ut omnino ad ipſam illam cauſam principalem tota hæc redundet gloria, prout fatetur ſummus Apoſtolorum: *habemus theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis, ut hæc hujus potentiæ ſupereminentia ſit DEi, & non ex nobis*, 2 Cor. IV. 7.

Elucet hinc (2) *Conſcientiæ naturalis vigor & operatio.* Siſtat hanc, qvantum poteſt, vel ſopiat peccator, qvi ſe vendidit & emancipavit flagitiis, tamen usq; recurret, vel non ceſſabit latentes exſerere aculeos, qvos ſeqvuntur ægritudines, flagella, cruciatus, tormenta, illæ Tragicorum furiæ & ἐριννύες. Tum autem maximè vires ſuas exercet, cùm, ad vocem Verbi divini excitata, tanqvam è profundo evigilat ſomno. Surgit &, ut gigas vino recreatus, ſe roborat, animumq; infelicem hinc infinitis diſtrahit curis, illinc infeſtat terroribus, ut, qvò ſe vertat, neſciat. Ἀδȣ πινὲς ἀνοίγονται πύλαι βαθεῖαι ϰ̀ ποταμοὶ

πυρὸς

πυρὸς ὁμοῦ καὶ ςυγὸς ἀπορρῶγες ἀναπετάννυνται, ut loqvitur Plutarchus lib. περὶ δεισιδαιμονίας: qvaſi expreſſiſſet verba Eſaiæ c. XXXIII. 14. *Expaverant Zione peccatores, corripuerat tremor hypocritas; qvis diverſabitur*, ajebant, *cum igne conſumente, qvis diverſabitur ex nobis cum ardoribus perpetuis*. Non jam ſaccus & cinis, non jejunia & lacrimæ, non veſtimentorum laceratio, crebra pectoris pulſatio, ejulatus in cælum ſublati, aliiq; perterritæ mentis actus, (ſopita cùm qvieſceret conſcientia, neglecti,) ſufficiunt iſta ad declaranda tormina, qvibus ſauciatus cruciatur animus.

Qvamvis autem & per ſe ſemper in actu motuq; ſit conſcientia, & in hanc omne verbum DEi nativa inſitaq; vi ſua potenter operetur: nunqvam tn. operatur potentiùs, qvàm cùm adverſus ſpecialia, qvorum ſibi conſcius eſt peccator, crimina dirigitur: cùm, inqvam, ſimul & ſceleris magnitudo, & judícii gravitas menti conſciæ ſiſtitur. Diſſeruit coram Felice Paulus *de Juſtitia & continentia judicioq; futuro*; & mox *Felix expavefactus abiit* Act. XXIV. 25. Qvam putas ſubiti pavoris cauſam, niſi qvòd ad conſcientiam hominis locutus Apoſtolus, ſimul ipſi familiaria ejus vitia, ſimul divinam vindictam ex verbo repræſentaret? Felix enim, ut habet Tacitus *Hiſt. lib. 5. per omnem ſævitiam & libidinem jus regium ſervili ingeniô exercuit*. Neq; aliter cum Achabo egit Elias. Ut primùm ille obvium ſibi in vinea vidit Prophetam, qvid vultu ſceleratiſſimi Regis minacius, qvid verbis aſperius? *Téne invenire me, inimice mi*? Mox verò, ut Propheta ſcelus ipſi ſuum objeciſſet, qvod notorium: *an occideris? an etiam poſſideas*, hanc ſc. injuſtè occiſi vineam Nabothi? ſimulq; judicium iſtud graviſſimum denunciâſſet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

Ecce inducturus ſum, ait Jehova, in Te malum, & tollam poſteros tuos &c. Rex qvaſi longè mutatus ab illo, qvi fuerat, & ſubito velut percuſſus fulmine, imò ferè exanimatus, *lacerabat veſtes ſuas, imponebat carni ſuæ cilicium, jejunabat &c.*

Nempe, cùm antehac Achabus Prophetam expertus fuiſſet veracem, clauſum precibus ejus ſenſiſſet cælum, poſtea datum è cælo ignem, redditas pluvias, non potuit non credere illa certò eventura, qvæ prædixerat. Itaq; metu conſternatus, non fidelem, ſed meticuloſam deſignat pœnitentiam, *non ex toto animo, ſed in hypocriſi* ut Jerem. III. 10. Videmus enim, ut nihil omiſerit eorum, qvibus animi ſumma mœſtitia ſignificatur. Videmus ciliciò nocte & interdiu opertum, jejunio ſe macerantem, aliisq; externîs geſtibûs lugentem. Sunt eqvidem externa iſtiusmodi exercitia qvædam vel irritamenta ad pœnitentiam, vel hujus externa teſtimonia; qvibus etiam fideles utuntur, tum εἰς τὸ ὑπωπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν τὸ σῶμα, tum ad ſuum de peccatis teſtandum dolorem, tum deniq; propter exemplum, ut alii illis ſpectaculis excitentur ad ſeriam peccatorum & iræ DEI meditationem atq; ad veram humiliationem. Verùm, ut iſtis ritibus neq; alligatam Deus voluit eſſe pœnitentiam, neq; in illis ſubſiſtere Eſ. LVIII. 5. 6. Joel. II. 13. 1. Tim. IV. 8. ita neq; ſemper ſigna ſunt veræ & ſeriæ pœnitentiæ. Nam etiam in Gentium luctu legimus jejunia, aſperſos cineres, ſciſſas veſtes &c. πηλώσεις, καταβορβορώσεις, σαββατισμοὺς, ῥίψεις ἐπὶ πρόσωπον, αἰσχρὰς προσκαθίσεις, ἀλλοκότους προσκυνήσεις apud Plutarch. l. cit. qvibus qvidem ſuperſtitioſi ſuam declarant ὑπόληψιν τοῦ δεκάζειν δύνασθαι τὸ θεῖον, & διὰ τῶν θυσιῶν ἐξωνεῖσθαι τὴν ἁμαρτίαν, memorante Porphyrio lib. 2.

περὶ ἀποχῆς. In Eccleſia etiam hypocritas in iſtis externis operoſos eſſe, qvid mirum? cùm internos terrores, agnitis peccatis, conſcientiæ ſuæ incuſſos ſentiant, imò cum deſperatione plerumq; ſentiant, ut exempla Cain, Achitophelis & Judæ proditoris teſtantur. Itaq; ſciendum, aliam eſſe contritionem & humiliationem *ſecundùm Deum*, & ex filiali obſeqvio, qvalis fuit illa Davidis Pſ. XXXVIII. 6. aliam ex ingenio mundi, & ex metu tantùm pœnæ, qvalis hæc Achabi.

Veram en. non fuiſſe pœnitentiam Achabi in primis ex eo colligimus, qvòd caruit fructibus convenientibus Matth. III. 8. Neq; en. legimus eum idololatriam, cui impenſè addictus erat, deſeruiſſe ſive ex toto, ſive ex parte, neq; Izabelis in ſe autoritati qvicqvam derogâſſe, ut impiis ejus conſiliis & inſpirationibus vale dixerit: neq;, qvod primùm factu opus in crimine (qvo iram DEi, aliàs juſtè ſatis ſuperq; promeritam, in ſe acceleraverat,) reſtituit, qvod rapuerat, vel famam ſaltem Nabotho, cùm vitam non poſſet, vel agrum hæredibus ejus cum damni compenſatione, ſicut fecit Zacchæus Luc. XIX. 8. Scidit itaq; veſtimentum, non cor. Carnem ſacco tectam, ſed non peccata per veram fidem tecta habuit. Solvit jejuniô luxum regalium epularum, non *ſolvit nexus impietatis*, qvod ad veram pœnitentiam reqviritur Eſ. LVIII. 6. Sic ergò, cum ſpuria & hypocritica fuerit hæc pœnitentia, mirum qvomodo *placuiſſe eam DEo* aſſeruit Gregorius M. *Hom.* 10. *in Ezech.* mirum qvomodo propterea *Deum Achabo veniam dediſſe* dixit Auguſtinus *Serm.* 58. *de Temp.* Gregorii verba ſunt: *penſandum, qvomodo grata DEo ſit ſpontanea afflictio pro culpis in eis, qvi placent, ſi hæc ad tempus placuit, in iis qvi diſplicebant.*

De

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

De Achabo utiq; loqvitur, qvem mox antè dixerat *reprobum*, qvi *timebat perdere non Dominum, ſed præſens ſeculum.* Ut itaq; benignè ex contextu interpretemur Gregorium, non putat Achabi pœnitentiam Deo placuiſſe *in totum*, ſed *in tantum*, ut ſaltem pœna differretur, idq; ut divina erga pios clementia hoc magis inclareſceret. Auguſtini v. ſententia non accipienda videtur de *venia culpæ*, ſed *pœnæ*, qvæ in aliud tempus remiſſa fuit; ideoq; paulo ſupra dixerat: *Deus Achabo ſacrilego Regi pepercit.* Nimirum in commendanda pœnitentia uterq; horum rhetoricatur: nec in iſtis ad populum homiliis Patrum omnia ad vivum reſecanda ſunt. Meritò tamen Pet. Martyr *Comm. in* 1. *Reg. XXI.* notans Chryſoſtomum in laudibus pœnitentiæ ita immoderatum fuiſſe, ut dixerit *de reparat. lapſ. Achabo fuiſſe condonata omnia peccata*, ἀποτόμως reſpondet: *hoc minimè verum eſt, qvandoqvidem vera defuit fides.*

In iſtis eqvidem externis ſauciatæ conſcientiæ teſtificationibus paria ſæpè faciunt cum verè pœnitentibus hypocritæ. Nullum nominari poteſt donum ſanctificantis Spiritus, nullus fructus regenerationis (qvales recenſentur Gal. V. 22.) cujus non externam ſpeciem præ ſe ferre qveunt, qvi ne minimam qvidem ejusdem vim aut ſenſum internum habent. Imitantur en. Patris ipſorum Diaboli fallaciam hypocritæ: ut ille *ſe in Angelum lucis transformare poteſt* 2. Cor. XI. 14. ſic illi. Multos etiam, qvi donis tam extraordinariis, qvàm ordinariis, qvæ ad Eccleſiæ ædificationem faciunt, excelluerunt, Chriſtus in die παντοκελτικῷ repudiabit, ut *operatores iniqvitatis*, Matth. VII. 22. 23. Unde rectè concluſit Chryſoſtomus *Homil. IV. in Matth. Omnes ſpecies Juſtitiæ, qvas ha-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

habent ſervi DEI in veritate , poſſunt habere & ſervi Diaboli in ſimulatione. Patet adeò , qvàm delira ſit Romanenſium doctrina , qvi inter notas veræ Eccleſiæ ſanctitatem , ſaltem principalium membrorum , reqvirunt. Utramq; licèt intelligant ſanctitatem fidei & morum , at neq; illa cuiqvam niſi ſoli DEo καρδιογνώστῃ patet , neq; hæc, ubi invenitur , ab hypocriſi diſcerni ullius hominis oculô aut judicio poteſt.

Cum itaq; , qvoad externam pietatis formam tanta perſæpe ſit hypocritarum conformitas cum ipſis fidelibus & filiis DEi : cum item certum ſit ibi partem habituros hypocritas , *ubi erit fletus & ſtridor dentium* Matth. [illegible]. permagni profectò intereſt , ut, qvi certam deſiderant vel præſentis gratiæ fiduciam , vel futuræ gloriæ ſpem, nihil qvicqvam temerè de ſe præſumant , lactentq; animos ſuos iſta perſvaſione, anteqvam ſuos ipſorum ſinus accuratè inſpexerint , totumq; ſtatum ſuum diſtrictè examinaverint. *Vos ipſos tentate* , ait Apoſtolus , *an ſitis in fide ? vos ipſos explorate ; annon cognoſcetis vosmet ipſos , an JEſus Chriſtus in vobis ſit ? niſi reprobi eſtis* 2. Cor. XIII. 5. Prima examinis qvæſtio eſt : *an ſitis in fide* ? Hæc priùs determinanda , anteqvam concludimus , *Chriſtum JEſum eſſe in nobis.* Et tum qvidem certiſſimum eſt , qvòd ſimus in ſtatu gratiæ , ubi certi ſumus nos habere veram fidem. At hoc eſt μέγα λίαν αἴτημα ; habeſne fidem ? Prorſus hic ſibi nemo reſpondeat affirmativè , & qvidem certitudine, ut loqvuntur Scholaſtici , cui non poteſt ſubeſſe falſum , niſi intimos cordis ſui affectus penitus exploratos habeat. Hæc ergò explorationis ratio in genere. Primò certum eſt , juſtificationem a fide, ut cauſa ſua proxima, nunqvam divelli poſſe. Qvod ſi itaq; habes fidem ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

dem, non dubitabis, an ſis juſtificatus, i.e. an habeas remiſſionem peccatorum? Non deſinis tn. in hac vita eſſe peccator. At in hoc cognoſces te eſſe ex fide juſtificatum, ſi nullum retines voluntarium peccandi propoſitum. In ipſo enim inſtanti, qvo Deus abſolvit hominem a peccato, per imputationem juſtitiæ Chriſti, etiam mutat affectum hominis, ut appetat bonum: eodem mediô, qvo regeneramur, etiam renovamur Tit. III. 5. Et non poteſt dominari peccatum iis, qvi ſunt ſub gratia Rom. VI. 14. 1. Cor. VI 9. 10. 11. Bona opera, ut ſunt fructus Spiritus, ita & veræ fidei a Spiritu donatæ. Et hæc, licèt non *qvà operatur*, tamen non niſi *qvæ operatur* per charitatem, juſtificat, Gal. V. 6. Et qvamvis non ab iſta operatione vitam habeat, mortua tamen eſt, niſi operatur. Ut ergò certus ſis, Te habere vivam fidem, oſtende tibi ipſi, & aliis, ex operibus fidem Tuam Jac. II. 18. Tecum habita, ut ſcias, an ames Deum? an oderis peccatum? Absq; amore DEi & odio peccati nulla vera fides. Et ſi poſt diligens ſcrutinium *cor tuum non condemnat Te, habes libertatem loqvendi apud Deum* 1. Joh. III. 21. Atq; hæc qvidem in genere. Nondum tamen actum eſt.

Fraudulentum eſt cor ipſum ſuper omnia, & qvis cognoſcat ipſum Jer. XVII. 9. Dixerat ante DEus per Prophetam, *Judæos receſſiſſe a Jehova*. Sed, qvia prætendere poterant qvod verè pii ptofitentur Pſ. XLIV. 19. 20. *Non obliviſcimur Tui, neq; mendaciter agimus contra fœdus Tuum, nec agitur retrorſum animus noſter* &c. ideò hic per προκατάληψιν monet Eos, fruſtra hæc prætendi; meminerint enim, ſi ſe ipſos decipere poſſunt qvadam integritatis præſumtione, *eſſe cor* ipſum ſuper omnia frau-

du-

dulentum, & habere ſua βάϑη, ubi ſinuoſis velut anfractibus & mæandris abſcondit, qvod nocet qvia non inventum: et, qvamvis Ipſi vix ac ne vix qvidem ipſas cordium ſuorum fraudes cognoſcant, Deum tn. cognoſcere: ideò ſeqvitur v. prox. *Ego Jehova ſcrutator cordis, probator renum &c.* Nimirum ſubtilis & ingenioſa nimis eſt hypocriſis ad occultandum, qvod in receſſu habet; nec facilè diſcernitur, absq; diligentiore ſcrutinio. Si qvis ad tempus cum gaudio audit Verbum DEi, ſi multis lacrimis peccata ſua deplorat, ſi graviora peccata ſolicitè devitat, ſi contra ſeculi inqvinamenta zelo inflammatur: ſunt hæc eqvidem gratiæ divinæ non contemnenda indicia, minimè verò infallibiles demonſtrationes. Nihil en. horum eſt, qvod non vel Achab, vel Saul, vel Herodes, vel Judas, aliive hypocritæ tum præſtiterunt, tum præſtare potuerunt. Qvod ſi ergò non ex his ſignis qvisqvam ſat tutò judicat de ſanctificatione cordis ſui, affectuumq; ſinceritate; unde judicabit qvæſo? Prolixum foret omnes hic percenſere notas a Theologis traditas. Erunt inſtar omnium binæ, qvas proponemus, *Integritas* nempe & *conſtantia*, qvæ ad bonum nunqvam in hypocritis inveniuntur.

Primò de *integritate* dicendum. Fieri poteſt, ut in auditu verbi, in profeſſione fidei, in dolore ob peccata commiſſa in reformatione vitæ, in tolerantia afflictionum, multum ad veræ pietatis ſimilitudinem hypocrita deſignet. Verùm iſtæ affectiones, uti non procedunt ex vera fide, aut bonæ coràm DEo conſcientiæ ſtudio, ſed alio reſpectu, ita ſunt tantùm particulares, nec ultra principia ſua doloſa, unde reſultarunt, progrediuntur. E. g. Verbum cum gaudio recipit hypocrita, in qvantum au-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

res titillat cum eloqventia ptolatum, nec vitium, qvod præ aliis ipſi familiare eſt, perſtringit: ſed non qvâvis Verbi parte æqvè delectatur. Rem, qvod ajunt, acu tange, & vel leviter reprehende, qvod nôris præcipuè eſſe in deliciis homini; non placebis ultra, recalcitrabit. Sic Herodes Marc. VI. 20. Matth. XIV. 3. 4. audiebat Johannem libenter, usqvedum inceſtum ejus reprehenderet, tum verò larvam depoſuit vulpes, aggrediens primò libertatem, mox & vitam monitoris. Sic Phariſæus juvenis Matth. XIX. 17. 20. 21. 22. tolerabat Chriſtum Magiſtrum, ſibi ipſi perplacebat, ut juſto; ut primum autem, *qvid ſibi deeſſet*, a Chriſto audiret, *diſceſſit triſtitia affectus*. Vix fieri poteſt, ut non in re una aut altera ſeipſum prodat hypocrita, ſi non aliis, at ſibi ipſi, convictus πρὸς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, niſi voluntariô neglectu ipſe ſibi cordis ſui rimas omnes obſtruxerit. Phariſæus exactè decimas ſolvit ex minimis, *ex mentho ſcil. anetho, & cumino*, ſed qvæ graviora ſunt legis omittit, judicium, miſericordiam & fidem Matth. XXIII 23. *Percolat* alius *culicem*, ſed *camelum abſorbet* Ibid. v. 24. a minoribus delictis dum cavet, & majora ſusq; deq; habet. Alius contrà trabem ejicit, feſtucam non curat; qvæ majora ſunt, utcunq; timens, minorum incurioſus. Hunc publica ignominia, illum privatarum rerum reſpectus, alium pœnæ temporales, aut fortè æternæ, diverſa diverſos ſtudia vel terriculamenta a certis qvibusdam flagitiis retrahunt; cum interea, iſtis obſtaculis remoris, eadem vel alia æqvè horrenda committere non erubeſcunt. Qvid hoc aliud eſt, qvàm abominanda hypocriſis, & mens αὐτοκατάκριτος? Rectè Autor *Op. Imperf. in Matth. Hom.* 45. *Omne bonum, qvod fit propter DEum, in omnibus rebus æqva-*

liter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

liter obſervatur. Pone ſinceram & minimè fucatam obedientiam, invenies æqvalem, qvæ omnia præcepta divina pari amore veneratur, pari conatu proſeqvitur. Sic David *animi* ſui *recti* characterem exponit: *non erubeſcam, cum intueor in omnia præcepta Tua* Pſ. CXIX. 6. 7.

Altera nota ἀνυποκρίτȣ πίστεως eſt *conſtantia* in bono propoſito, ſive continuatio ſtudii ſanctificationis. Qvæ enim in hypocritis apparet forma pietatis, magno ſæpè cum impetu ac fervore ad tempus procedit; planè ſicut *qvod in petroſum ſolum decidit, ſemen ſtatim exoritur, & ſtatim iterum exareſcit, qvia non habet profundam terram* Matth. XIII. 5. 6. Nec aliter hypocrita, ut primum hos ignes concipit, mox ardet, inflammatur zelo; nulla mora eſt, vult ſanctus videri, *momentô turbinis*, ut utar verbo Perſiano. Sed, ut nullum violentum durat, ſic neq; præfervida hæcce ſanctitatis ſpecies: nimis ejus fructus ſunt præmaturi, qvò minus ad bonam i. e. ſpiritualem frugem perveniant. Aliter ſe habet veræ ſanctificationis gratia: qvemadmodum per gradus creſcit, & cum tempore robur acqvirit, ſicut bona ſeges Marc. IV. 28. ita durat longiùs, nec niſi graviore lapſu convellitur: ferè ut ajunt Philoſophi, habitûs, qvi difficulter acqviruntur, difficulter amitti, & ut Seneca Ep. 120. *Qvalitatis veræ tenor permanet, falſa non durant*. Diximus nuper hypocritarum ſpecioſas & ſplendidas actiones, ut ortum habent a falſis, carnalibus, & adſcititiis reſpectibus, ita protinus, ubi hi ceſſant, in nihilum recidere. Ecce tibi Achabum; qvi nuper ad vocem Prophetæ conſternatus, & ſibi ſuisq; mundano reſpectu metuens, ad omnes externæ humilitatis modos ſe demiſit: vix primus impetus de-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

ferbuit, cum repentè ad ingenium rediit. Neq; en. vineam Nabotho injuſtè ereptam hæredibus ejus reſtituiſſe legimus; & mox in prox: cap. XXII. 1. Reg. v. 8. 27. Prophetam contemnit, in carcerem amandat, ipſiq; DEo obedire recuſat. Pariter & Pharao, qvoties ceſſabant plagæ, toties, qvam promiſerat, obedientiam recuſabat. Magna itaq; eſt inter hypocritam & verè pium differentia. Ille cum impetu & æſtu brevi tranſeunte, qvod affectat, exſeqvitur. Hic moderato & regulari paſſu *de die in diem* 2. Cor. IV. 16. ſobriè, &, qvantum humana fert conditio, conſtanter, & qvidem multo cum timore ac tremore in ſanctificationis ſtudio progreditur: qvod & intimat Apoſtolica phraſis ἐν καινότητι ζωῆς περιπατεῖν Rom. VI. 4.

Duo hæc ſigna multorum inſtar eſſe poſſunt; & vel ex iſtis ſolis ſufficiens hypocriticæ mentis διάγνωσις inſtituitur. Et ferè, qva ratione judicamus de ſtatu corporis, eadem & judicandum eſt de ſtatu animæ. Qvi frigidi eſt temperamenti, parem in febribus ſentire poteſt æſtum, ac, qvi eſt calidi, & nonnunqvam forte majorem. Fallitur autem qvi ex febrili paroxyſmo, de temperamento vel ſtatu hominis naturali judicare præſumit. Sed &, ſi qvis, ingentem in membris calorem ſentiens, ſcire diſcupit, utrum calor iſte præter naturam ſit nec ne? vix melior eſt diagnoſis, qvàm ex *univerſalitate & conſtantia*. *Univerſalia ſalutaria, particularia ex morbo*, eſt axioma Medicorum. Itaq;, ſi tibi conſcientia tua teſtis eſt, contritionem tuam æqvaliter oppoſitam eſſe omnibus peccatis, novamq; tuam obedientiam æqvaliter in omnia DEi præcepta ferri: magnum utiq; in Te habes indicium gratiæ ſanctificantis, 1. Theſſ. V. 23. Qvod ſi verò affectus volun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

voluntatis tuæ inclinari cognoſcis ad hæc vel illa præcepta ſervanda, ad alia verò negligenda; ſi ferves ad unum, ad alterum friges, & dum hoc placet, alterum diſplicet, magna profectò ratio eſt, qvod Te non ſanum eſſe ſuſpiceris. *Conſtantiam* qvod attinet, non negamus ipſos fideles & verè pios nonnunqvam inter tentationum inſultus adeò infirmari, ut in propoſita pietatis praxi remiſſiores fiant, ſimulq; aliqvem amittant ſenſum gratiæ, & contriſtentur, ut conſtat exemplis Davidis Pſ. XXXIX. & Aſaphi Pſ. LXXXVII. non tamen idcircò non ſunt in ſtatu gratiæ. Sicut fieri poteſt, ut ex intemperie aliqvâ infirmetur qvis, illa tn. infirmitas non ſit ad mortem Joh. XI. 4. Ita ſi conſtanti ſtudio & ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον operaris opietati vitæ, iterum habes non inevidens gratiæ in te operantis ſignum, juxta illud Rom. VIII. 14. *Qvi Spiritu DEi aguntur, ſunt Filii DEi.* Sin per ſubitos impetus, & velut per acceſſus & receſſus iſta Tibi obveniunt, & aliqvando æſtues, ſæpius algeas; præclara ſaltem ſpecies eſt, ne credas: ſed te ipſum potius de fermento hypocritico ſuſpectum habeas.

Sect. II. *de Succeſſu pœnitentiæ Achabi.*

Hypocriticus cùm fuerit totus iſte pœnitentiæ Achabi actus, mirum maximè videri poſſet, Deum hanc gratiam ipſi feciſſe, ut pænam denunciatam, licèt non penitus remiſerit vel abſtulerit, at ad tempus differre voluerit. Seqvitur en. in Textu: Qvapropter fuit verbum Jehovæ ad Eliam *Tiſbitem, dicendô: Videsne Achabum ſe abjeciſſe ante faciem meam, eò qvòd abjecit ſe ante faciem meam, non inducam malum iſtud in diebus ejus &c.* Dicat hic aliqvis ἀστήρικτος: qvomodo hoc cum immenſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

DEi ſanctitate conſiſtere poteſt ? Ea certè tanta eſt, ut iniqvorum hominum, & cædibus plenas manus habentium deteſtetur ſacrificia, novilunia & ferias; atq;, etiamſi devotiſſimô ritu manus ſuas expandant, utanturq; multâ oratione, occultet tamen ab illis oculos ſuos, & exaudire nolit Eſ. I. 13. 14. 15. Tanta eſt, ut, qvi nexibus improbitatis implicati ſunt, etiamſi jejuniis affligant animas ſuas, incurventq; ut juncos capita ſua, & cilicia ſibi ac cineres ſternant; non tamen ipſi placeant Eſ. LVIII. 5. 6. imò, qvicqvid faciunt hypocritæ, vel cum maxima devotionis ac pietatis ſpecie, oderit tn. eos maximè Prov. XV. 8. Oſ. VI. 6. Et nihilominus Deus, hâc non obſtante naturali ſuâ ſanctitate ac in judicando puritate Pſ. LI. 6. fictam impii Regis humiliationem aliqvo modo ſibi acceptam fuiſſe teſtatur.

Notandum itaq;, qvamvis malè cum Achabo actum fuerit, qvòd nullam ſeriam & ſinceram ex corde pœnitentiam egerit, pejus tn. fuiſſe, ſi planè nullam declarâſſet: &, ut ut in tota ejus pœnitentia nulla fuerit vera & ſpiritualis bonitas, externam tamen qvandam & moralem fuiſſe, eò ſaltem modo, qvô res minùs mala reſpectu deterioris vel deterrimæ bona dici poteſt. Jam ſi Deus opus moraliter & extrinſecè bonum, beneficiô tantùm temporali & externo compenſat, nihil contrarium deſignat ſuæ vel bonitati & ſanctitati vel juſtitiæ diſtributivæ, qvâ *reddit unicuiq; ſecundùm opera ipſius* Rom. II. 6. habita relatione inter mercedem & opera; non qvòd debeat, ſed qvòd ita liberè velit propter cauſas gloriæ ſuæ convenientes: nempe vel (1.) ut manifeſtius in genere ſuam commendet bonitatem hominibus, dum etiam minimas boni tum naturalis, tum moralis reliqvias aliqvo liberalitatis ſuæ

te-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

teſtimonio dignatur. Sicut B. Auguſtinus de Romanis loqvens: *qvibus*, ait, *Deus non daturus erat vitam æternam, ad cujus ſocietatem pietas vera perducit, niſi terrenam gloriam concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum*, & paulo pòſt, *non eſt, qvòd de ſummi & veri DEi juſtitia conqverantur: perceperunt mercedem ſuam.* Lib. V. de Civ. D. c. 15. In eundem ſenſum B. Dannhawerus concedit *Hodoſoph. phæn. XI.* p. m. 848. ait enim: *ſecuta qvidem eſt pœnæ mitigatio, non qvòd externa illa humiliatio Deo placuerit abſolutè, ſed qvòd ad exemplum faceret, externâ aliqva benedictione a DEo eſt commendata.* Vel (2) ut par pari referat, concedendô præmia veræ felicitatis inania, pro cultu aliqvo veri amoris & ſinceræ pietatis experte. *Temporariam en. mercedem pollicetur Deus* (Achabo) *dilationem ſcilicet pœnarum. Et qvalis pœnitentia, nempe temporaria, tale qvoq; bonum ei promittitur*, ut rectè loqvitur P. Martyr Comment: in h. l. Vel (3.) qvod omnium eſt certiſſimum, ut per illam χρηστότητα ſuam homines, nondum verè pœnitentes, ad veram pœnitentiam deducat.

Ipſa eqvidem Scriptura Matth. VI. 2. 5. 16. ſic de hypocritis loqvitur: *perceptam habent mercedem ſuam.* Scio illud verbum ἀπέχουσι a nonnullis exponi ſignificatione *prohibendi*, q. d. *prohibent vel impediunt mercedem ſuam*, phraſi apud Græcos Scriptores ſæpenumerò obvia. Sed ea tamen phraſis in hac qvidem cum accuſat. conſtructione nullibi reperitur in Libris N. Teſt. ſed potiùs in ſignificatione *habendi* vel referendi occurrit, ut Phil. IV. 18. unde & ἀποχὴ dicitur ſcriptum, qvo creditor debitorem abſolvit. Nimirum hypocritis inſtar mercedis eſt, qvòd ab hominibus laudentur; ideoq; in ejusmodi popularis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

auræ mancipia rectè qvadrat, qvod dicitur diviti epuloni damnato, *bona tua recepiſti in vita tua*, i.e. ita jam accepiſti in vita mercedem, ut nullam nunc aliam exſpectare habeas. *Bona* en. *divitis remuneravit felicitas tranſeuntis vitæ*, Gregorius M. in *Luc. XVI. hom.* 11. Hoc illud eſt: ἀπέχουσι τὸν μισθὸν ἀυτῶν, qvalem nempe ſibi propoſuerunt. Cui contrarium, qvod ſcitè ſcribit Hieronymus *Lib. II. Epiſt.* 14. *O qvanta apud DEum merces, ſi unuſqvisq; in præſenti præmium non ſperaret?*

Non deſunt qvoq; exempla alia in S. Hiſtoria, ut de profana taceamus. JEhu, qvamvis ſincerâ pietate careret, ut eſt 2. Reg. X. 31. propter particularem tamen externam & temporariam in exſcindenda Achabi familia obedientiam DEo præſtitam, temporalis regni mercedem à DEo retulit v. 30. De qvo egregiè Auguſtinus lib. cont. mendac. c. 2. *Cùm de Jehu ſcriptum ſit, eum rectum cor non habuiſſe cum DEo, qvid ei profuit, qvòd præ nonnulla obedientia, qvam de domo Achab omninò delenda, pro cupiditate ſuæ dominationis, exhibuit, aliqvantam mercedem tranſitoriam regni temporalis accepit?* Similiter Nebucadnezari Ægyptus DEi donô in præmium ceſſit operæ militaris adverſus Tyrum DEo præſtitæ Ezech. XXIX. 18. 19. 20. Qvamvis judicii divini tantùm executor eſſet Nebucadnezar, Divini conſilii ignarus, & absq; intentione Deo hâc operâ ſerviendi Eſ. X. 7. Qvanto magis, qvi aliqvam habent intentionem vel habere ſe ſimulant externo actu Deum reverendi, non deſtituuntur præmio aliqvali, qvod ſua natura & conditione, ut diximus, fucatæ ipſorum pietati reſpondeat.

Hæc ut ita ſe habeant, reſtat dicendum de *veracitate* DEi, qvæ itidem in dubium vocari a carne & ſangvine poſſet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

ſet, ſi ſecundùm phænomena qvædam ἐναντιοφανῆ conſideraretur. Qvi en. in ſeipſo planè eſt immutabilis Mal. III. 6. Ebr. XIII. 8. Jac. I. 17. nec minùs in dictis & decretis ſuis longiſſimè a mendacio abeſt Num. XXIII. 19. 1. Sam. XIII. 29. Rom. III. 4. adeò ut verba ejus *non ſint etiam & non*, ſed *etiam & amen* 2. Cor. I. 19. 20. qvomodo pænam Achabo denunciatam (v. 21. *Ecce inducturus ſum in te malum*) mox retractat? (v. 29 *non inducam malum illud in diebus Tuis*:) qvaſi pœniteret Sanctiſſimum conſilii, vel, qvaſi *diceret aliqvid, qvod non faceret* Num. l. cit. Sæpiùs eqvidem, ubi Divina erga homines miſericordia deſcribitur, affectus *pœnitendi* DEo tribuitur, ut Gen. VI. 6. Pſ. XCV. 10. Jon. III. 10. alibi. Sed in hac aliisq; ejusmodi phraſibus, qvæ ab humanis affectibus deſumtæ ad Deum & divina transferuntur, συγκατάβασιν meritò obſervârunt Theologi antiqvi & recentiores. Loqvitur en. Scriptura ad homines lingvâ humanâ, &, ut ait Chryſoſtomus *in Gen. hom.* 5. propter imperfectos mentium noſtrarum conceptus utitur iſta συγκαταβάσει τῆς διηγήσεως, συγκατιοῦσα τῇ ἀσθενείᾳ τῆς ἀκοῆς τῆς ἡμετέρας. Loqvitur, inqvam, *pro captu noſtro, non pro ſuo ſtatu*, ut habet Bernhardus *Lib. de conſid.*

Qvicqvid autem ſit de modo loqvendi, at res ipſa δευτέρας φροντίδας & mutationem aliqvam in divinis conſiliis deſignare videtur. Primò: *inducam in Achabum malum*: mox: *non inducam*. Sic Eſ. XXXVIII. 1. *Ezechia, brevi moriturus es, & non vives*; ſtatim v. 5. *vives, addam diebus tuis.* Ninivitæ deſtruentur, & Ninivitæ non deſtruentur. Qvæ qvidem ipſa primâ ſpecie ſunt contradictoria. Secare potiùs qvam ſolvere hunc nodum placuit Vorſtio cum *tr. de Deo* aſſeruit, *in parte aliqva*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

decreti divini fieri aliqvam mutationem. Qvæ ſententia, ut blasphema, ita Chriſtianæ religionis Profeſſore indigniſſima. Qvamvis en. divinæ operationes reſpectu noſtri & rationis noſtræ, ut πρὸς ἔξω prodeunt, contrariæ nonnunqvam videri poſſint, at tamen, ut πρὸς ἔσω conſiderantur, i.e. ut intra ſinum DEi continentur, ſunt ταυτό π. Qvod Scholaſtici dicunt (vid. Aqvin. I. qvæſt. 19.) *Deum* qvidem *velle mutationem, ſed nunqvam mutare voluntatem*, a vero non eſt alienum, ſed nimis argutum. Magis placet, qvod reſpondet Gregorius M. in Expoſ. Moral. in Job L. XVI. c. 6. *Omnipotens Deus, etſi plerumq; mutat ſententiam, conſilium nunqvam*, & clarius L. XX. c. 24. *qvia ipſe immutabilis id qvod voluerit mutat, pœnitere dicitur, qvamvis rem mutet, conſilium non mutet.* In priore loco per *ſententiam* intelligit prædictiones conditionales, per *conſilium* immota & fixa DEi decreta.

Hæc ut intelligantur, animadvertendum, comminationes Divinas, ut & promiſſiones, ex totius Scripturæ analogia, habere annexam ſibi conditionem in propoſito DEi, licèt non ubiq; in verbo explicitam, at neceſſariò ſubintelligendam. Ita ſub conditione *impœnitentiæ* comminationes, *obedientiæ* verò promiſſiones factæ cognoſcuntur. Illuſtria ſunt oracula Jer. XVIII 7. 8. Ezech. XXXIII. 14. 15. *cum dixero improbo, omnino moriturus es, ſi reverſus fuerit a peccato ſuo &c. omnino vivet, non morietur.* Sic Abimelech propter raptum Saræ moriturus erat, ſcil. niſi illæſam reſtitueret. *Adhuc qvadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, ſubintellige ex contextu, niſi egerit pœnitentiam. Hinc fit, qvod ait Gregorius nuper allegatus Lib. III. *Expoſ. in* 1. *Reg. III. Si bona promiſſa revocat omnipotens Deus, qvia ii, qvibus*

pro-

promiſerat, malè permutantur, qvanto magis minarum effectûs retrahit, cum benè converſos eos aſpicit, qvibus pro iniqvitatibus pœnam animadverſionis intimavit. Cur v. non placuerit DEo, ſemper eam in comminationibus ſuis exprimere conditionem, vel hæc una cauſa ſufficere poteſt, qvòd admiranda ſint τὰ οἰκονομούμενα τοῦ Θεοῦ in vocandis ad pœnitentiam peccatoribus. Si conditionem ſemper adjiceret comminationi DEus, fortè magis reſipiſcentiam procraſtinaret peccator, & magis induraretur. At, ubi abſolutis verbis pæna denunciatur, terret eò magis & percellit animum peccati, de qvo arguitur, conſcium, ut velit noſit mentem mutet, vel habitum. Sic conſtanti inter ſe nexu copulantur benignitas & veracitas DEi Pſ. LXXXV. 10. Qvòd ſi en. convertitur peccator, gaudium eſt in cælis, ſin minùs, parata ſunt in eum arma lethifera Pſ. VII. 14. Egregiè in hunc ſenſum diſſerit Chryſoſtomus *Hom. V. ad Pop. Antioch.* εἰ μὴ προσηνέχθη (ἡ ψῆφος) οὐ μὴ ἤκουσαν οἱ ἡμαρτηκότες, εἰ δὲ μὴ ἤκουσαν, οὐκ ἂν μετενόησαν, εἰ δὲ μὴ μετενόησαν, οὐκ ἂν ἀπεκρούσαντο τὴν τιμωρίαν.

Qvicqvid ſit demum, & qvalecunq; beneficium Achabo indultum in dilatione vel ſuſpenſione pænæ per Prophetam ipſimet denunciatæ, *non inducam malum illud in diebus ejus*: at neq; divinæ veracitati qvicqvam deceſſit, ut docet eventus 2. Reg. X. 10. neq; afflictioni impii Regis in hac vita (de æterno ejus ſtatu malumus ἐπέχειν & juxta εὐφημισμὸν Apoſtolicum Act. I. 25. dicere: *abiit in locum ſuum*) nullus locus relictus fuit. Hoc indicant ſeqventia in Textu: *diebus filii ejus inducam malum illud ſuper filium ejus.* Præſcire calamitates ſuper proximam poſteritatem certiſſimè venturas, nonne maximæ locô calamitatis eſt homini, non dicam pio, ſed improbo, ac στοργῆς

na-

naturalis non planè oblito ? Etiam Ethnicus Xerxes non temperavit à lacrimis , cùm numeroſiſſimum ſuum exercitum intuens cogitaret , intra paucas annorum decades futurum , tot ut myriades ſelectorum hominum umbris æternis inferiæ mitterentur , apud Herodotum Lib. VII. Tiberii Imp. *illa vox ſcelerata atq; inhumana* (etiam Tullio judice *l.* 3. *de fin.*) ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ, referente Dione L. 58. Sceleratius tn. & inhumanius, qvod corrigebat Nero, ἐμοῦ ζῶντος ap. Sveton. *in Ner. c.* 38. Minùs a ratione abhorret , qvod docuit *in Ethicis* Ariſtoteles , *res poſterorum pertinere ad defunctos*. Interim , Achabum qvod attinet , qvantamcumq; habuerit vivus doloris materiam ex imminentibus filio totiq; poſteritati malis ; pro ſummo tn. beneficio neceſſe eſt habuerit , demum poſt ſua fata eam tempeſtatem exſpectandam eſſe : cùm & piis Regibus Ezechiæ Eſ. XXXIX. 6. 8. Joſiæ 2. Reg. XXII. 16. 20. dilatio illa prædictorum a Prophetis malorum , qvæ poſt mortem ipſorum evenirent , magnum attulerit ſolatium.

Sect. III. *de pœnæ ab Achabo promeritæ devolutione in Joramum ejus Filium.*

Sanctitatem & veracitatem DEi hucusq; ſpectavimus. Supereſt *juſtitia* ejus vindicanda adverſus præjudicia carnalis rationis. Qvi en. divinô decretô pœnis Achabo debitis obnoxius fuit Joramus Rex, reſpectu Achabi conſiderari poteſt tripliciter: 1. *relatè*, ut filius ejus, 2. *diſparatè* , ut alius ab Achabo, 3. *comparatè* , ut homo non ita prorſus improbus ut Achabus, 2. Reg. III. 2. Jam , qvalis eſt hæc juſtitia , occinet caro & ſangvis , qvòd vel filius luat pœnam a Patre promeritam , vel alius pro alio puniatur ,

vel

vel, qvi minus offendit, pro eo, qvi magis offendit. Qvocunq; reſpectu Joramum intuemur, eâdem reſponſione opus eſt: & plura exempla mirabilis hujus diſpenſationis Dei tum habuimus, tum habebimus. Peccavit in parentem Noah inverecundus Cham, & ecce! non tam in ipſum, qvàm in ejus filium Canaan maledictio pronunciatur Gen. IX. 25. eventu prædictioni reſpondente. Propter idololatriam Jeroboami tota ejus proles ſuperſtes regno ſimul & vita privatur 1. Reg. XV. 29. 30. ſicut & propter neqvitiam filiorum Eli tota eorum poſteritas ſacerdotiô 1. Sam. II. 33. 36. Judæi lapidandô Prophetas, & ipſum Filium DEi interficiendô, divinam vindictam eamq; ſeveriſſimam, non adverſus ſeipſos tantùm, ſed & poſteros ſuos omnes provocarunt Matth. XXIII. 35. 36. XXVII. 25. occupante eos irâ ad extremum usq; 1. Theſſ. II. 16. In re adeò clara qvid opus eſt exemplis pluribus? præſertim qvùm ipſe DEus, qvid velit, manifeſtum faciat Ex. XX. 5. nempe, qvòd ſit *fortis zelotes, viſitans iniqvitatem patrum in filios, nepotes, & abnepotes.*

De *facto* itaq; cùm nullum dubium ſit, magnum tamen, ſi dicere licet, ſupereſt de *jure*, qvâ ſcil. juſtitia vel æqvitate fiat? cùm huic magis conveniat, qvod Deus teſtatur, ſe *unicuiq; juxta viam ſuam fructum actionum ſuarum reddere* Jer. XVII. 10. XXXII. 19. Conf. Pſ. LXII. 12. Prov. XXIV. 12. 2. Par. VI. 30. imò *citra* προσωποληψίαν *judicare ex cujusq; opere* 1. Pet. I. 17. Et verè hanc qvæſtionem Chryſoſtomus appellat ζήτημα πολυθρύλλητον καὶ πανταχοῦ περιφερόμενον, *in Geneſ. Hom.* 28. Nolumus in enarrandis diverſorum Interpretum diverſis reſponſionibus ſermonem protrahere. Rem ſæpè non adeò obſcuram diſcrepantia ſententiarum magis confundit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

& obſcurat, qvàm illuſtrat. Ex multis potiùs *duo* qvædam præcipua exhibebimus momenta, qvibus nituntur, & ad qvæ reduci poſſunt reliqua in ſcriptis Theologorum occurrentia. *Primum* deſumimus ex conditione perſonæ, cui pœna infligitur, *alterum* ex conditione pœnæ, qvæ infligitur.

Primum qvod attinet, obſervamus ſeqvi plerumq; natos vitioſa Parentum veſtigia; adeoq; nihil injuſti eſſe, ſi, qvi peccatis Parentum perſonalibus communicant, communicent etiam pœnis. Triplici en. via transmitti ſolent vitia iſtiusmodi a Parentibus in filios, *naturâ ſc. exemplô, & educatione.* Univerſaliter hoc licèt negent Pontificii, nos tamen facili operâ evincemus, præmiſſâ diſtinctione (1.) inter peccatum originale, & actualia; de illo hic non agimus, ſed de his, cum utiq; illud in poſteros propagari non negent Pontificii. (2.) Inter peccata actualia in genere, & illa in ſpecie, qvæ ſunt habitualia: illorum qvidem nonnulla propagari neqveunt, qvia tranſeunt: hæc v. qvodam modô tranſmitti poſſunt, utpote qvia ſunt qvalitates permanentes. (3.) Inter ipſos habitus acqviſitos, & eorum ſemina. Illi vix transfunduntur, ſed hæc non rarò. Nam neq; id ſemper & ordinariè fieri dicimus, ipſâ reclamante experientiâ, generari non tantùm ex bonis bonos, ſed & ex peſſimis optimos, præſertim ubi accuratiore educatione natura corrigitur. Verùm aliqvando, vel ut plurimum, fieri qvis negabit? Cùm en. communi traduce corpus ſimul generetur & anima, qvid mirum, ſi, qvomodo ad certos corporis morbos hæreditariam propenſionem a Parentibus in filios derivari videmus, ſic etiam ad certos animi morbos magis, qvàm ad alios inclinent liberi, transfuſis veluti cum ſemine vitiis paren-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

Parentum perſonalibûs ? Unde fieri ſolet, ut ab avaris avari, ab iracundis iracundi, a libidinoſis libidinoſi gignantur. Qvod & oppidò obſervat Mantuanus in *lib. Sylvar.*

Qvi viret in foliis, venit ab radicibus humor,
Et Patrum in natos veniunt cum ſemine mores.

Et compertum eſt, pro diverſis corporum temperamentis, ad hæc vel illa vitia proniores eſſe alios aliîs. Qvalia qvidem vitia prædominantia Theophraſtus *charact.* 19. συγγενῆ ἀῤῥωστήματα appellat; qvibus, ſi non planè eradicandis, at ad minimum ſupprimendis, & majus gratiæ auxilium devotîs precibûs implorandum, & major mortificatio ſuiq; ipſius abnegatio a qvolibet ita affecto adhibenda.

Jam & ab *exemplo & educatione* qvanta inter Parentes ac Filios morum ſimilitudo exiſtere ſoleat, ſatis notum eſt. *Velociùs & citiùs nos Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica* ait Juvenalis *Sat.* 14. & *probum Parentem eſſe oportet, qvi gnatum ſuum probiorem, qvàm ipſus fuit, poſtulat* dixit Plautus *in Pſeud.* Imò id ſæpenumerò plus qvàm alia Parentes improbi curant, ſuam ut ſobolem iisdem malis artibus imbuant, qvibus ipſi in corradendis opibus, conſectandis voluptatibus, vel aliàs in conformandis ad corruptum ſeculum moribûs aſſvevere; ut iterum verè luſit Juvenalis *Sat. cit.* *Sunt qvædam vitiorum elementa, his protinus illos Imbuet, & coget minimas ediſcere ſordes.* Hinc *progenies viperarum*, qvalem inter Phariſæos & Sadducæos notavit Baptiſta Matth. III. 7. Et, ut ne a familia Achabi longiùs diſcedamus, valde ad materiam, qvam expendimus, facit, qvod ipſa S. Hiſtoria indicat: ſive per naturam, ſive per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

exemplum vel educationem factum fuerit, perinde eſt. Filius Achabi & proximus ſucceſſor Achaziah ut regni ita vitiorum Parentis hæres ex aſſe fuit. *Fecit qvod malum in oculis Jehovæ, nam ambulavit in via Patris & in via matris ſuæ* 1. Reg. XXII. 53. Et qvàm longè iſta mali hæreditas inter poſteros progrediatur, exemplum fuit alter Achazias, nepos Jehoſaphati ex filio, Achabi v. ex filia 2. Par. XXI. 6. de qvo notabilis eſt expreſſio Scripturæ: *ambulavit in via domus Achabi, fecitq; malum in oculis Jehovæ, ſicut domus Achabi, qvia gener domus Achabi erat* 2. Reg. VIII. 27. Cauſa propinqvior additur in lib. 2. Paral. c. XXII. 3. 4. qvia Mater ejus Athalia aliiq; de ſtirpe Achabi erant ei conſiliarii ad malè agendum. Ipſe deniq; Joram, frater Achaziæ Regis Iſraelis, & filius ille Achabi, in cujus tempora pæna divina per Eliam nunciata reſervabatur, egregiè patriſſabat, licèt non in omnibus: *Fecit enim* & ille *qvod malum in oculis Jehovæ* 2. Reg. III. 2. 3. Sic, ut. l. cit. Juvenalis loqvitur, *monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.* Atq; adeò qvid mirum, ſi impius genitor filio ejusdem ſecum culpæ reo, ejusdemq; ἀμετανοήτȣ καρδίας conſorti, eundem qvoq; qvem ſibi collegit *iræ* divinæ *theſaurum* pro hæreditate reliqverit, ut utamur phraſi Apoſtolicâ Rom. II. 5.

Venit hìc in mentem qvod ait idem Apoſtolus 2. Cor. XII. 14. *Oportet Parentes filiis theſauros recondere*, nimirum legitimo & juſtô titulô acqviſitos. Fiet en. aliàs, ut maledictio per injuſtam acqviſitionem procurata ipſis rebus, niſi legitimo poſſeſſori, ejusve hæredibus promtè reſtituantur, perpetuò adhæreat. Veritas hæc eſt, *non tantùm* in figura Legis ceremonialis adumbrata Lev. V. 2. ad 11. ubi gonorrhœa hominis non modò ipſum, ſed &

cu-

cubile ejus & ſellam, & omnia, qvibus utebatur, utenſilia immunda ex contactu reddebat; imò qvicunq; vel illum vel illa tetigiſſet, pariter immundus habebatur: verùm etiam clarè aſſerta Zach. V. 3. 4. fore ſcil. ut *maledidictio invadat domum furis, commoransq; in ea conſumat eam & ligna ejus & lapides ejus.* Qvod & præclaris rationibus demonſtrat Chryſoſtomus in 1. Cor. Homil. XV. ex lege tam humana, qvàm divina, qvi rapta vel malè collecta poſſident, repetundis damnari. Adſcribimus totum locum, qvia oppidò huc qvadrat: κᾂν αὐτοὶ, inqvit, πλεονεκτοῦντες διαφύγωσι τὴν κόλασιν ἀλλ᾽ οἱ κληρονομοῦντες τὰ αὐτῶν τὰ αὐτὰ πείσονται. Καὶ πῶς τοῦτο δικαιον, φησί: καὶ σφόδρα δίκαιον: ὁ γὰρ διαδεξάμενος κλῆρον, ἀδικίας γέμοντα, εἰ καὶ αὐτὸς μὴ ἥρπασεν, ἀλλ᾽ ὅμως τὰ ἑτέρων ἔχει, καὶ τοῦτο πέπεισαι ἀκριβῶς, καὶ διὰ τοῦτο δίκαιος ἦν παθεῖν. Ει γὰρ τοῦ δεῖνος ἁρπάσαντος ἔλαβές συ, εἶτα ἐλθὼν ὁ ἁρπαγεὶς ἀπήτει, ἆρα ἂν ἤρκεσέ σοι εἰς ἀπολογίαν, τὸ μὴ αὐτὸν ἡρπακέναι σε; οὐδαμῶς. ὅτι ἕτερος ἀπέδυσεν, ἀλλὰ συ κατέχεις, ἐκεῖνος ἥρπασεν, ἀλλὰ συ ἀπολαύεις; Ταῦτα δὲ καὶ οἱ τῶν ἔξωθεν ἴσασι νόμοι, οἱ τοὺς ἁρπάσαντας καὶ ὑφελομένους ἀφέντες, ἐκείνους κελεύουσιν ἀπαιτεῖν, παρ᾽ οἷς ἂν εὕροι τις τὰ αὐτοῦ κείμενα ἅπαντα. Sic omnino verum eſt, qvod absq; jure Achab Pater acqviſivit, id filium Jehoramum retinuiſſe absq; ſcrupulo. Neq; en. legimus eum Nabothi vineam legitimo reſtituiſſe hæredi; qvod facere debuiſſet utiq;, ſi incumbentem maledictionem evitare voluiſſet. Inter Patrem & Filium nullum hìc diſcrimen; ille furatus eſt, hic furtô ablata furtivè detinuit. Ἀμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας, ait Phocylides.

Hæc cùm ita ſe habeant, ut ampliùs adhuc divinæ integritas juſtitiæ innoteſcat, enodanda reſtat hæc qvæſtio: Utrum Parentis Achabi, an ipſius filii Jehorami propria iniqvitas vera cauſa impulſiva fuerit diræ illius pænæ, qvæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

de Jehoramo ſumta eſt? Profectò ſivè hujus ſive illius iniqvitati pænam iſtam imputaverimus, nihil a vero alienum dixerimus. Hoc ſaltem intereſſe videtur, qvòd ipſius Jehorami iniqvitas fuerit cauſa impulſiva meritoria punitionis, Achabi v. Parentis occaſionalis. Reſpectu en. juſtitiæ exactiſſimæ potiùs illius, qvàm hujus iniqvitas meruiſſe hanc pænam dicenda eſt. Nam culpa & pæna ſunt relata, ut ubi illa non eſt, neq; hæc locum habeat. Hinc Auguſtinus *Epiſt.* 105. & alibi aſſerit, *Deum ipſum fore injuſtum, ſi qvenqvam damnaret innoxium:* & Thomas 1. 2. *qvæſt.* 87. *art.* 7. 8. docet, omnem pænam, qvæ merè & propriè pæna eſt, eſſe propter aliqvam culpam, ſc. ejus qvi punitur.

Solent autem Philoſophi cauſam impulſivam diſtingvere in προηγουμένην, qvæ *interna*, *proxima*, *antecedens & diſpoſitiva*, & προκαταρκτικὴν, qvæ eſt *externa*, *remotior & excitativa*. Ut, cùm Medici de cauſis morborum agentes, in ſpecie de dyſenteria, qvæ conſiſtit in exulceratione inteſtinorum, dicunt cauſam προηγουμένην eſſe bilem in toto corpore exuberantem, qvæ facta ſit acrior & venenatior; cauſam v. προκαταρκτικὴν (*irritatricem* vocat Melanthon) dicunt eſſe cibos acriores & putredini obnoxios, fructus acidos & immaturos, qvi exaltant vel augent bilem, lubricitatem efficiunt, & bilem auctam movent. Sic, qvod ad ſubjectum noſtrum pertinet, propria Jehorami peccata erant interna, proxima & προηγουμένη cauſa, qvòd ipſe punitus fuit; ejusdem v. punitionis cauſa προκαταρκτικὴ erant peccata Achabi, ſecundùm verba Domini ad Eliam.

Atq; hoc modo non opus eſt Oedipo in diſſolvendis & conciliandis illis Scripturarum amicis litibus. Ut, cùm

Jerem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

Jerem. XXXI. 30. & Ezech. XVIII. 20. *Qviſq; propter ſuam iniqvitatem morietur, & filius non feret propter iniqvitatem Patris* ; aliis verò locis τὸ ἐναντιοφανὲς pronunciatur, Ex. XX. 5. *Deus fortis zelotes, viſitans iniqvitatem Patrum in filios*, & Thren. V. 7. *Patres noſtri peccaverunt, & non ſuperſunt, nos verò pœnas eorum ferimus.* Nec v. Parentum tantummodo peccata puniuntur in filiis, ſed & Principum in ſubjectis populis 2. Sam. XXIV. 17. imò privatorum in publicis ſocietatibus, ut Joſv. XXII. 20. Optimè hìc convenit inter DEi juſtitiam, & ejusdem ſapientiam. Et qvidem cùm Scriptura, qvam alii dant pænam, aliorum adſcribit culpæ, ſapientiſſimam DEi providentiam nobis ſiſtit contemplandam; qvæ ob bonos juſtosq; fines, ſibi qvidem ſoli à priori cognitos, nobis v. etiam a poſteriore aliqvando cognoſcendos, hâc vel alia occaſione præ alia utitur, ad infligendas hominibus pænas, qvas ipſi aliàs propriis delictis abundè ptomeruere. Contrá, cùm pæna tribuitur propriæ patientis culpæ, divina nobis intimatur juſtitia, perſonalia mala merita reſpiciens. Ita ut, qvicunq; demum qvocunq; modo & qvacunq; occaſione a DEo punitur, cum Davide debeat confiteri: *Tibi ſoli peccavi, & qvod malum in oculis Tuis feci, ut juſtificeris in ſermonibus Tuis, purus ſis, qvando judicas Pſ. LI. 4.*

Hactenus itaq; juſtitiam DEi vidimus in transferendis ab uno in alium pænis, idq; *ex conditione perſonæ*, qvæ luit. Reſtat diſpiciendum de *conditione pœnæ*, qvam luit. Pæna ſumitur vel *ſtrictè* pro punitione culpæ nondum remiſſæ, vel *laxè* pro qvavis paternâ juſtificatorum caſtigatione. Pæna ſtrictè accepta aut eſt *æterna*, aut *temporaria*, & hæc vel *interna* vel *externa*. Itaq; cùm

verum ſit, qvòd nulli innocentes & probi filii, ob enormia parentum flagitia, afficiantur vel æternâ vel temporaria pænâ, propriè & exqviſitè acceptâ: at, non minùs verum eſt, eosdem nonnunqvam iis implicari & vexari malîs temporalibus, qvæ, ut ut rationem pænæ propriè dictæ reſpectu paternorum meritorum ex divina ordinatione habere poterint, ipſis tamen filiis, qvi affliguntur, locô paternæ παιδέιας & medicinæ inſerviant. *Qvis unqvam innocens periit, aut ubi recti exciſi ſunt*, Job. IV. 7.? Impios verò qvod attinet filios vel poſteros, obſervamus, cùm illi pro peccatis Parentum pænas luant propriè dictas, has tamen temporarias tantùm eſſe & corporales.

Sic lepra adhæſit poſteris Gehazi 2. Reg. V. 27. Sic non uno malo affecta fuit Joabi familia, hujus ob homicidium, ſi modò impleta fuerit, ut videtur, imprecatio Davidis 2. Sam. III. 29. ad qvem locum benè notavit Kimchius: Sicut bona externa a DEo obveniunt Filiis propter juſtitiam Patrum, ita *è contrario mala externa evenire generationi reæ propter iniqvitatem Patrum impiorum.* Qvod omninò ita e Scripturis verum eſt. Similiter præmaturô & deteſtabili mortis genere extincti fuere Parentum juxta & ſuâ culpâ Amnon & Abſalom, (Conf. 2. Sam. XIII. 29. XVIII. 15. cum 2. Sam. XII 10.) Soboles item, & integræ familiæ Korah, Dathan & Abiram Num. XVI. 27. 33. Atq; in hujusmodi temporalibus judiciis ob delicta majorum in poſteros exſeqvendis, par eſt œconomia divina cum illa, qva benedictiones temporales parentum virtute filiis procuratur. Obſeſſa a Sennacheribo Hieroſolyma propter Davidem longè poſt ejus mortem liberatur Eſ. XXXVII. 35. Et zelus Jehu in exſtir-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

ſtirpandis Achabitis atq; Baalitis ſucceſſionem procurabat filiis ejus hæreditariam in regno Iſraëlis in qvartam uſq; generationem 2. Reg. X. 30.

Temporalia, inqvam, & externa hæc ſunt mala, qvæ Parentum ob noxam in filios poſterosq; devolvuntur. At ſpiritualia & æterna mala non item. Nam ut juſtus ſua fide vivit, ita ſua culpa pereunt, qvi damnantur. *Anima* (i. e. *homo* per Synecdochen) *qvæ peccaverit, ipſa morietur*, Ezech. XVIII. 4. ubi per *mortem* non ſolùm intelligitur mors & pæna temporalis (ut volunt Martyr *LL. CC claſſ. 2. c. 1. §. 36. 44.* & Piſcator *Comm. in Ezech. 18. Schol. 4. & in c. 33. obſerv. 4.*) ſed etiam & in primis mors æterna: qvod patet *tum* ex mortalium peccatorum, ubi non reſipiſcitur, reatu v. 10. 11. 12. 13. *tum* ex oppoſitione inter *mortem* non reſipiſcentium ab iſtis peccatis, & *vitam* reſipiſcentium, de qvibus dictum, *non morientur* v. 17. 21. 24. 28. utiq;, ſi mors tantùm temporalis hic intelligenda, qvomodo vera eſſet promiſſio? Ergò nulli filii & poſteri ob Parentum aut Majorum culpam, ſed tantùm ob propriam, pænas luunt æternas. Imò ſi, ut modò diximus, ob ſola Parentum ſcelera non luunt temporales pænas, multò minus æternas. Sed nec impii & ἀμετανόητοι filii, ob Parentum ſcelera propriis cumulata, puniuntur in inferno majori & graviori pænâ, ſed tantùm ob ſua ibi puniuntur in finali ἀπιστίᾳ mortui, Contrà qvod docuit Calvinus *Inſtit. Lib. 2. c. 8. §. 19.* eſt fructus horribilis ſententiæ de abſoluta reprobatione. Noſtra ſententia probatur ex Gal. VI. 5. & Rom. XIV. 12. *unusqvisq;* τὸ ἴδιον *proprium onus*, ergò non alienum, *portabit*, & *de ſe ipſo rationem DEo redditurus eſt:* E. propter aliorum peccata ſimpliciter nemo poſt mortem punietur. Sicut & in vi-

ta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

ta æterna nemo ob bona majorum ſuorum opera retributionem majoris gloriæ accipiet ; ſed unusqviſq; ἴδιον μίσθον accipiet κατὰ τὸν ἴδιον κόπον 1. Cor. III. 8. Conf. 2. Cor. V. 10. Hab. II. 4.

Fruſtra Calvinus in contrarium objicit iſta Scripturæ loca, ubi Deus dicit ſe velle viſitare iniqvitatem Patrum in filios, nepotes & abnepotes Ex. XX. 5. XXXIV. 7. Num. XIV. 18. Deut, V. 9. Jer. XXXII. 18. Nam. (1.) illa iræ viſitatio vitæ hujus terminis clauditur, ut colligimus ex antitheſi Ex. XX. 6. Deut. V. 10. *exercendæ benignitatis* erga piorum filios & nepotes. Qvalis hìc benignitas, talis ibi pœna. Certum verò eſt, neminem ob Parentis vel Avorum pietatem æternis præmiis mactari: Ergò nec ob eorundem impietatem æternis ſuppliciis. (2.) Poſitô, non conceſſô, de æternis pœnis agi in textibus prædictis; at nunqvam ex iisdem demonſtrabitur, mactari æternis malis filios ſolam ob iniqvitatem Parentum. Dicit qvidem Dominus, ſe *viſitare iniqvitatem Patrum in filios, nepotes & abnepotes*, ſed addit, *in eos, qvi oderunt me*, לְשֹׂנְאָי; qvem ante προσδιορισμὸν nulla neceſſitate confingitur ellipſis 2. vocum עַל־בְּנֵי ἐκ κοινοῦ repetendarum, qvaſi ſenſus eſſet, viſitabo iniqvitatem Patrum in filios &c. *in filios inqvam* eorum qvi oderunt me.

Qvin potiùs ad ipſos filios & nepotes referendum, qvòd in eos, ſi Deum oderunt, viſitetur iniqvitas Parentum. Hanc en. explicationem *tum* conſtructio verbi פָּקַד cùm præpoſ. לְ. & contextus ſimilis in antitheſi v. ſeq. patitur; *tum* analogia fidei ac Scripturæ reqvirit ex Ezech. XVIII. petenda: *tum* & Tremellius aliiq; Interpretes approbant, imò ex Veteribus præcipui, qvorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

trinos audiamus. Chryſoſtomus in Hom. ſuper dictum Pſ. 84. *non in æternum iraſcaris nobis*, ſic ait: *gratias tibi Deus, qvi addidiſti:* (ſc. Ex XX. 5.) *in iis qvi non cognoverunt me. Cæterùm ſi taceres, omnes damnares. Demonſtraſti ergò, qvia Pater, ſi fuerit contemptor Tuus, & filius talis fuerit, æqvè Tibi non obediens, & nepos ſecutus fuerit vias avi & Patris ſui, pronepos item &c. Qvia ergò Te non cognoverunt, rependes eis ſecundum tertiam & qvartam progeniem.* Hieronymus To. V. ſuper Ezech. c. 18. *Injuſtitia videtur DEi, alium peccare, & alium luere pœnam. Si en. reddit peccata patrum ſuper filios in tertiam & qvartam generationem, injuſtum videtur, ut alius peccet, alius puniatur. Sed ex eo qvod ſeqvitur:* his qvi oderunt: *comminationis ſive præcepti ſcandalum ſolvitur.* Auguſtinus *c". Adimant. Manich. c. 7. Et illud certum eſt, qvòd Deus retribuit parentum peccata filiis, qvi eum oderunt. Ex eo en. qvod addidit*, qvi me oderunt, *intelligitur eos puniri peccatis parentum, qvi in eadem perverſitate parentum perſeverare voluerunt.* (3.) Accedit, qvòd, cùm juſtitiæ DEi vindicativæ convenit, non tantùm in *tertiam & qvartàm*, ſed per omnes usq; generationes pænis æternis viſitare infidelium Parentum, imò & fidelium, filios & nepotes perſeveranter infideles: ideò de temporalibus afflictionibus hæc Ex. XX. 5. viſitatio iniqvitatis patrum in filios iniqvos intelligi debeat, & qvidem de earum augmento, prout commodè obſervavit Theodoretus in Pſ. CVI. πονηρία πατέρων τοῖς ὁμόιοις παισὶν ἐπαύξει τὴν τιμωρίαν, οὐδαμία γὰρ οὐδαμόθεν εὑρίσκεται φειδοῦς ἀφορμὴ, i. e. *perverſitas Parentum filiis ſimilibus ſupplicium adauget, qvia nullo ex loco parcendi ulla occaſio invenitur.*

Graviſſima autem hìc nobis occurrit objectio de integris gentibus & familiis, qvæ Majorum culpâ patiuntur *famem audiendi verba divina*, Amos. VIII. 11. Cùm. en. extra dubium ſit, qvòd gentes plurimæ verbum DEi adeoq; gratiam repudiarint, ſive a ſe ut juſtô DEi judicio auferretur meruerint, idq; vel (1.) per ἀποκώλυσιν, non admittendô verbum DEi, ne qvidem in auditum ac deliberationem; vel (2.) per ἀποβολὴν, rejiciendô jam auditum & perceptum contemptu moroſo atq; repugnantiâ adſcititiâ. Unde ſecuta eſt ex parte DEi *ablatio vineæ* Matth. XXI. 41. 43. & *regni gratiæ* c. XXIII. 33. 38. vel *prædicationis verbi* ut Act. XIII. 46. XVIII. 6. *Remotio candelabri* Apoc. II. 5. *Subtractio cœnæ*, & *negatio ulterioris invitationis*, ut Matth. XXII. 7. 8. Luc. XIV. 24. *Interverſio* qvoq; *pluviæ* & *irrigationis* Eſ. V. 5. 6. ſeqq;. Sicut per univerſam ferè Aſiam, Africam & Americam factum videmus, ut per ſuperinductionem barbariſmi, paganiſmi, muhammediſmi vix locus relictus ſit Eccleſiæ & verbi Evangelii prædicationi. Hoc tantum damnum, qvô majus dari in hac vita non poteſt, propter impietatem & ἀπιστίαν Majorum patiuntur, ajunt, longâ ſerie poſteri. Unde ſeqvi videretur, etiam ſpiritualiter affligi Majorum culpâ filios.

Reſpondent nonnulli, (1.) defectum verbi non propriè eſſe ſpiritualem, ſed potiùs temporalem pœnam. Diſtingvunt adeoq; inter externam verbi prædicationem, reprobis & electis communem, & internam Spiritus S. per verbum efficaciam in fide & gratia conferenda atq; conſervanda. Non illam ſed hanc eſſe ſpiritualem benedictio-

nem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

nem Eph. I. 3. & conſeqventer illius ablationem vel negationem, non eſſe ſpirituale damnum. Sed hæc reſponſio propriô ſe prodit indicio, e qva Schola prodierit, nempe ex illa qvæ docet, aliud *externum* eſſe *verbum* reprobis unà cum electis commune, aliud *internum* & cum ἐνεργείᾳ Spiritus S. conjunctum, qvod electis proprium. Deinde, ſi daremus prædicationem qvandam verbi non eſſe ſpirituale beneficium, non tn. ſeqveretur, ejus defectum non eſſe ſpirituale damnum. Ut en. nomina & termini ipſis conveniant rebus, certè illud eſt ſpirituale damnum, qvod animarum ſalutem impedit vel evertit. Tale verò damnum eſt negatio vel ablatio verbi, utpote per ſe *potentiæ DEi ad ſalutem*; ſine qvo neq; Chriſtus innoteſcit, nec fides & gratia DEi offertur, nedum ut conferatur.

Alii (2.) reſpondent, aliter in hac materia conſiderandas eſſe perſonas privatas, aliter publicas ſocietates. Hoc enim intereſſe, qvòd moriente Patre & ſuccedente filiô, non jam eadem ſit perſona, qvæ antea fuerat, ſed alia. In publicis verò ſocietatibus aut Rebuspublicis nullam talem ex ſucceſſione fieri mutationem. Licèt namq; *una generatio abeat, & altera adveniat*, ut eſt Eccleſ. I. 4. non tamen alia & alia eſt gens vel Reſpubl. ſed eadem. Sicut idem eſt & manet fluvius, licèt aliis decurrentibus & in mare ſe exonerantibus lymphis aliæ & novæ ex fontibus reſultantes ſuccedant. Itaq; qvando hæc vel illa generatio hac damni pæna, nempe remotione candelabri vel negatione verbi juſtè ablati, afficitur, propter impietatem & peccata majorum in generationibus aliqvot prioribus: non magis unum pro alio puniri exiſtimandum, qvàm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

qvàm cùm idem homo in ſenectuta ſua pænas luit pro deli-ctis in juventute commiſſis. Verùm & hæc reſponſio claudicat. Iſta en. conſideratio gentis alicujus & Reipublicæ Politica eſt & nominalis tantùm, non Theologica, non realis. Reſolvatur enim totum alicujus Reipubl. in ſuas partes integrales, invenies familias & individua. Qvotcunq; etiam numeraveris in ea Rep. vel gente generationes hominum, nemo erit, cui non primam hujus damni cauſam vel certè occaſionem ex impietate Majorum adſcripſeris. Qvomodo aliâs conqveri potuiſſent Judæi: *Patres noſtri peccaverunt, & non ſuperſunt: nos v. pænas eorum ferimus.* Lam. V. 7.? Et ſimilis qverela exſtat Jer. XXXI. 29. Ezech. XVIII. 2. *Patres comederunt omphacen, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Cui verò mox opponitur v. 4. illud juſtitiæ divinæ effatum: *En omnes animæ meæ ſunt; anima qvæ peccat, ipſa morietur.* Qvid ergo? qvî ſit, qvòd, cùm non neganda ſit univerſalitas vocationis καιροῖς ἰδίοις 1. Tim. II. 6. factæ, tot tamen tam longô tempore nationes orbis in tenebris ſedeant, a politia Iſraelis abalienatæ, & a pactis promiſſionum extraneæ?

Reſpondemus (1.) in hac materia de cauſis non iteratæ vocationis inter nonnullas gentes, qvas neq; a priori neq; a poſteriori, concluſione infallibili, deprehendere poſſumus, tutiſſimum qvidem eſſe, ſi cùm Apoſtolo gentium ad occulta DEi judicia rem totam referamus. *O profundas divitias tum Sapientiæ tum cognitionis DEi! qvàm inſcrutabilia ſunt ejus judicia & ejus viæ imperveſtigabiles? Qvis en. cognovit mentem Domini, aut qvis*

ei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

ei fuit a conſilio? Rom. XI. 33. 34. Sic Auguſtinus *Lib.* 4. *c*. *duas Epiſt. Pelag. Qvare illos homines oves facit, & iſtos non facit, ipſa eſt qvæſtio, qvæ ad eam pertinet altitudinem, qvam Apoſtolus perſpicere volens expavit & exclamavit: ô altitudo divitiarum.*&c. Paria habet Proſper in Lib. *de Voc. gent.* paſſim.

Ut tamen prodire tenus liceat, qvà nos ducit juſtitiæ pariter ac miſericordiæ divinæ, qvàm habemus, cognitio, dicimus: (2.) Qvòd poſteri eorum, qvi cognitionem ſalutis accipere noluerunt, vel acceptam repudiarûnt, naſcantur in defectu Evangelii, non eſt pæna ipſis ob Majorum proterviam inflicta, ſed conditio a Parentibus in eos propagata. Nec fuit Deus, ut conſervator Naturæ, ullo pacto obligatus ad impediendum ejus ordinarium curſum, qvo Ethnici extra Eccleſiam ab Ethnicis generantur: non magis certè, qvàm debuit impedire naturam, qvò minus primi homines juſtitiâ originali per lapſum deſtituti ſimiles generarent liberos. Si hìc juſtitia divina illibata manſit, utiq; & illic manebit; imò ſi hìc non ſolo Parentum vitiô, ſed & ſuo ipſorum propriô puniuntur filii, utiq; nec illic.

(3.) Aliud eſt, affici poſteros ob Majorum culpam ſupplicio poſitivô, aliud, non affici eos novô beneficiô, eoq: non debitô. Illud juſtitiæ divinæ adverſatur, hoc non item. Et de ſupplicio poſitivo intelligendum illud apud Ezech. c. XVIII. 20. *filius non feret iniqvitatem Patris;* ut conſtat ex collat. cap. anteced.

(4) Ut non urgeamus, fieri poſſe, ut non reſtituatur eis Evangelium, propter infallibilem DEi πρόγνωσιν, qvâ præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

videt fore, ut, etiamſi ipſis reſtituatur, ipſi tamen. ne ſic qvidem admittant, adeoq; non vult *ſanctum dari canibus, nec margaritas projici coram porcis, ne fortè conculcent eas pedibus & converſi lacerent projicientes* Matth. VII. 6. Saltem extra dubium eſt, ex parte ipſorum gentilium aggravari impedimentum, qvò minùs fiat reſtitutio, per inexcuſabilem abuſum donorum naturalium. Per hæc en. nonnulla ipſis de DEo cognoſci poſſunt: & hoc ipſum γνωςὸν, cùm imperfectum ſit, anſam ipſis dare poteſt imò obligationem, ulteriùs de Deo inqvirendi. Conf. Rom. I. 19. 20. II. 14. 15. & Act. XIV. 17. cum Act. XVII. 27. 28. Nec dubium, qvin ita inqvirentibus occaſionem offerat ipſe ὁ οἰκτίρμων per efficaciam verbi ſui accepti è tenebris ad lucem emergendi. Eum en. in finem & Eccleſia Chriſtiana eſt inſtar *civitatis in altiſſimo monte poſitæ*, qvæ occultari non poteſt: conf. Matth. V. 14. cum Eſ. II. 3. 4. & ſingulari DEi providentiâ, per commercia & navigationes Chriſtianorum, vexillum inter gentiles hìc & nunc erigitur, ad qvod confluere poſſint, modò prævenientem gratiam non ſpernant. Qvia verò non rectè utuntur iſto naturæ lumine pædagogicô, & veritatem in injuſtitia detinere pergunt, revelata ſuper eos ira DEi manet, in judicio DEi ſunt ἀναπολόγητοι, & iſtud ablati & non reſtituti Evangelii damnum juſtè promerentur, ut ἀντιμισθίαν τῆς πλάνης αὐτῶν Rom. I. 18. 20. 27.

Bonus eſt Jehova omnibus, & miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus, Pſ. CXLV. 9. Vocat itaq; qvotidie miſeros gentiles *affectu*, licèt non ſemper *effectu*. Ideoq; *acceptum* ei eſt, ut in Eccleſia fiant interceſſiones pro omnibus hominibus, utiq; & gentilibus, *qvia omnes homines*

vult

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

vult ſervari & ad agnitionem veritatis venire 1. Tim. II. 1. 3. 4. Nobis interim, qvi Evangelio gaudemus, omnino incumbit, *hinc* grata mente venerari divinam in nos benignitatem, qvòd ſalutari hac luce frui nobis liceat, *illinc* cum timore ac tremore conſiderare divinam in Gentiles & Judæos, qvi exciderunt, præciſam ſeveritatem : ſemper illud animo volventes, qvod monuit Salvator Joh. XII. 35. *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*. Qvod ut fiat, ipſe fons lucis æternæ Pater DEus nobis concedat proter Filium ſuum dilectum, per Spiritum S.

Amen !

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 00948 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-93 4° 948